

02 H 289





240.

DE

OBLIGATIONE MANDANTIS
ERGA
MANDATARIVM FINES
MANDATI EXCEDENTEM

INDVLTV

ILLVSTRIS IVRISCONSVLTORVM ORDINIS
IN REGIA FRIDERICIANA

PRO

SVM MIS IN
VTROQVE IVRE HONORIBVS

RITE CAPESSENDIS

AD DIEM APRIL. A. R. S. MDCCXXXVII.

DISSERET

GVSTAVVS BERNHARDVS BECMANN

DEVITIO - MEGAPOLITANVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,

TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.

L. M. v. d. ... A. R. S. ...

ERNESTO LUDOVICO
GENKOW
GUSTAVS BERNHARDYS BECMANN



VIRO
ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO
ATQVE GENEROSISSIMO
DOMINO
BALTHASARI à WENDESEN
SERENISSIMI DVCIS MEGAPOLITANI MARESCHALLO
AVLICO, DOMINO HEREDITARIO
IN LICHTENBERG &c.

ET
VIRO
ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO
ATQVE GENEROSISSIMO
DOMINO
ERNESTO LVDOVICO
à GENZKOW
DVCATVS POMERANIAE CONSILIARIO PROVINCIALI
DOMINO HEREDITARIO IN DEWITZ &c.

NEC NON
V I R O
ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO
ATQVE GENEROSISSIMO
DOMINO
ZABELI CHRISTOPHORO
LEOPOLDO
à GENZKOW

DOMINO HEREDITARIO IN IATZKA &c.

DOMINIS SVIS GRATIOSISSIMIS
PATRONIS AETERNVM DEVENERANDIS

IN TESSERAM
ANIMI SVI DEVOTISSIMI
CVM VOTO SINCERO
OMNIGENAE PROSPERITATIS
PRIMITIAS HASCE ACADEMICAS
D. D. D.

GVSTAVVS BERNHARDVS BECMANN.



§. 1.



Si quis actum aliquem suscipit; ille ita *Negotium* comparatus esse potest, ut vel ipsi inde *alienum* agenti proxime utilitas obueniat vel ter. *quid?* tio. Si prius; *negotium proprium* suscepisse dicitur. Sin posterius; vel tertius ipse eum suscipere debuisset, vel non.

Illo casu *negotium alienum* vocatur. *Suscipit* igitur *negotium alienum* qui actum aliquem suscipit in alterius cuiusdam utilitatem, quem ille ipse expedire debuisset.

Cum de obligatione mandantis erga mandatarium fines mandati excedentem acturi simus, & haec debita *deus, Belex* determinari nequeat, nisi ex distincta alieni negotii & modorum illud explicandi notione; non possumus facere, quin eos quoad eius fieri potest breuissimis antea euoluamus. Quod vero datam negotii alieni definitionem adinet; eandem plane ideam menti VLPIANI obuersatam fuisse patet ex *l. 1. §. 2. ff. de procur.* ubi *usus*, inquit, *procuratoris perquam necessarius est, ut qui*

A 2

rebus

rebus suis ipsi superesse vel nolunt vel non possunt, per alios possunt agere, & d. l. 1. pr. procuratorem definit per eum, qui aliena negotia mandatu domini administrat.

§. 2.

*Suscipitur
vel consen-
siente vel
dissentiente
altero.*

Si quis aliena negotia qua talia sponte expedit; necesse est, ut in ipso sit voluntas ea expediendi (§. 1.). Quod si vero voluntatem eius spectemus, cuius sunt negotia; duo casus distinguendi se offerunt. Vel enim qui negotia suscepit hunc idem velle sibi persuadet, vel non. Si prius, *consensum*; sin posterius, *dissentium* eius sibi repraesentat.

§. 3.

*Diversae hu-
ius consensus
species.*

Si qui negotia alterius expedit, hunc in expeditionem consentire cogitat; consensum alterius conligit vel ex signis eius arbitrariis, vel ex principiis generalibus psychologicis. Priorem consensum *signatum*, posteriolem *non-signatum* dicemus. Signatus consensus in *expressum* & *tacitum* abit, prout signa, vnde immediate conligitur, vel verba sunt vel non.

Exempla consensus signati vulgo obuia sunt. Non-signatus, quem etiam praesumtrum dicunt, conligitur ex principiis generalibus psychologicis, per ipsius obiecti naturam determinatis. Cum enim ex iis constet, quemcunque velle, quod sibi tanquam bonum quod ad se repraesentat; dispiciendum, vtrum datum obiectum tale sit, in quo dicta hypothesis locum habeat. Quod quidem tam ex ipsius obiecti natura, quam ex propensionibus & adfectibus cognitis eius, de cuius voluntate quaeritur, & modo consueto eius agendi cognosci potest. Si igitur deprehendas, obiectum ita comparatum esse, ut tertius aliquis idem

erga mandatarium fines mandati excedentem. §.

idem sibi tanquam bonam fit repraesentaturus; inde argumentum ducere licet ad voluntatem eius, quam ideo praesumptam seu non-signatam dicunt.

§. 4.

Idem de dissensu eius dicendum, quatenus qui aliena negotia expedit, illum sibi repraesentat. *Species huius dissensus evolvuntur.* Vel enim principium eius cognoscendi signa cogitationum arbitraria sunt, vel principia generalia psychologica, conlata cum ipsius obiecti natura & indole personae. Illum dissensum *signatum*, hunc *non signatum* vocabimus. Dissensus signatus ratione negotii futuri etiam in specie *prohibitio* vocatur. Vnde *prohibere* dicitur, qui declarat, se nolle negotium aliquod futurum ab alio perfici. Signatus consensus prout vel cum verbis tanquam signis immediatis connectitur vel non, vel *expressus* vel *tacitus* appellatur.

§. 5.

Quemadmodum philosophi in genere possibile dicunt, quod non involuit contradictionem; ita *ICTi* in specie *moralium possibilitatem* alicui rei tribuunt in relatione ad leges morales, quatenus nimirum ipsis non repugnare vel non contradicere concipitur. Quod si iam dissensum alicuius quod ad negotiorum suorum expeditionem ad leges morales referamus; ille etiam ipsis vel repugnabit vel non. Si prius obtinet, *moraliter impossibilis*; sin posterius, *moraliter possibilis audit*.

In ontologia in genere ad genus τῶν ἀδυνάτων refertur, quo posito ponitur contradictio siue sibi ipsi siue alii rei

rei possibili seu verae contradicat. Quapropter etiam haut immerito moraliter impossibile vocant, quod veritati alieni morali seu legi contradicit. Idem veteres iuris conditores sensisse, discimus ex elegantissimo loco PAPINIANI *libr. 16. quaest.* quem TRIBONIANVS nobis seruauit *l. 15. ff. de condit. instit.* *Quae facta, inquit ICTUS, laedunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, & vt generatim dixerim, contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse credendum est, conf. l. 9. l. 14. ff. eodem.*

§. 6.

Quid obligatio
mediata
& immediata
ta.

Omne ius oritur ex obligatione, & omnis obligatio ex lege concipitur. Lex ergo tanquam vltimus fons & principium iurium & obligationum potest considerari, & ad ea se habet, vt causa ad effectum. Quum vero effectus a causa dependeat vel mediate vel immediate; obligationes etiam duplici hoc modo a lege, scilicet vel mediate vel immediate proficisci possunt. Illae obligationes *mediatae*, haec *immediatae* vocantur.

§. 7.

Factum
obligatori-
um definitur
tam in se,
quam respectiue
tunc tale.

Si mediatam cogitemus obligationem; praeter legem factum aliquod nobis concipere debemus, quo mediante obligatio illa ex lege descendat (§. 6.). Factum quod hoc modo obligationem producit in genere vocatur *obligatorium*. Obligatio haec vero cohaerere potest vel ipsi agenti vel alii. Priori respectu factum *in se*, posteriori vero *respectiue* seu *respectu tertii obligatorium* vocabimus.

Sic e. gr. qui rem alterius commodatam adcipit, hoc facto ad eius restitutionem, & qui alteri damnum infert, ad illud reparandum tenetur. Est ergo tam adceptatio
con-

erga mandatarium fines mandati excedentem. 7

modati, quam damni inlatio factum obligatorium sed in se tale. Pariter si defunctum aliquem sepeliendum curavi; heres seu in genere ad quem onus funerandi spectat mihi obligatus est ad sumtus factos legitime in funerationem restituendos. Funeratio ergo hoc modo factum obligatorium, & quidem respectiue seu respectu tertii tale est. Communiter solent hos duo respectus confundere. Sed realem eorum diuersitatem ipsa ratio loquitur, neque nos temere eos distinxisse ex mox dicendis adparebit.

§. 8.

*Si factum est respectiue obligatorium; eatenus factum re-
etiam moraliter possibile est.* Si enim factum est respectiue obligatorium; ex dispositione legum obligatio-
nem in tertio producit (§. 7.). Si ex dispositione legum obligationem in tertio producit; ius eidem respon-
dens agenti tribuit (§. 6.). Si ius tribuit; concipitur inde facultas agendi moralis (per defn.). Si vero facultatem agendi moralem tribuit; moraliter possibile est (§. 7.). Ergo etiam si factum est respectiue obligatorium; eatenus moraliter possibile est.

E. gr. Si pactum aliquod cum Caio in eo, ex quo ipse mihi ad certam rem praestandam obligatus est; necesse est vt pactum hoc, si validam in ipso producere debet obligationem, legibus conueniens seu conforme sit. Qua etiam Praetor ratione commotus in edicto suo pulcherri-
mo ea tantum se seruaturum pacta pollicetur, *quae neque dolo malo, neque aduersus leges, plebiscita, Sca, edicta principum, neque quo fraus cui eorum fiat, facta sunt l. 7. §. 7. ff. de pact.* Quod vero praedicatum huius theore-
matis tantum per notionem facti respectiue non etiam in se obligatorii determinetur; quilibet ex facili largietur, qui delicta etiam ab Imperatore inter facta obligatoria re-
ferri

ferri recordatur *pr. Inst. de oblig. quae quasi ex contr. pr. Inst. de oblig. quae ex delict.* Quare non amplius obscurum erit, cur supra (§. 7.) differentiam factorum obligatoriorum euoluerimus.

§. 9.

Factum moraliter impossibile non est respectiue obligatorium.

Possibilitas moralis est attributum facti respectiue obligatorii (§. 8.), adeoque necessario seu inseparabiliter cum eo connexa. Et quum sublato attributo ipsum subiectum tollatur, cuius est attributum; negata possibilitate morali facti alicuius, id eo respectu non erit respectiue obligatorium. Vnde manifestum, *factum moraliter impossibile qua' tale non esse respectiue obligatorium.*

§. 10.

Ergo etiam nec consensus nec dissensus illius moraliter impossibilis.

Adplicemus haec generalia ad dissensum eius, cuius negotia ab alio suscipiuntur ratione expeditionis eorum. Est ille vel moraliter possibilis vel non (§. 7.). Quare quum factum moraliter impossibile non sit respectiue obligatorium (§. 9.); *nec etiam dissensus eius moraliter impossibilis erit respectiue obligatorius.*

E. gr. Cum interfit reipublicae, ne vrbs ruinis deformetur *L. 7. §. 10. ff. de A. R. D.* dominus aedium tenetur ruinas reficere. Quod si ipse facere negligat, & alius pro eo fecerit; iustum est, vt in refectionem scilicet necessariam consentiat. Si vero consentire noller; dissensus hic esset contra leges, & hinc moraliter impossibilis, adeoque nec respectiue obligatorius, *conf. STRYK. V. M. de neg. gest. §. ult. in fine.*

§. 11.

§. 11.

Si quis dissentiente altero illius negotia expediuit; *contra eius voluntatem* ea expediuisse dicitur. *Quid obseruandum*
Haec contraria voluntas vel moraliter possibilis est vel *quod ad dis-*
non. Posteriori casu valent demonstrata (§. 10.). *sensum eius*
Priori vero casu distinguendum, utrum, qui contra vo- *moraliter*
luntatem hanc alterius eius negotia expediuit, eandem *possibilem?*
cognouerit, an ipsam ignorauerit.

§. 12.

Si quis contra cognitam alterius voluntatem si cognitus
moraliter possibilem negotium eius expediuit; expedi- *fuerit; ex-*
titio ista non est respectiue obligatoria. Si enim cognitus *positio non*
alterius dissensus fuerit moraliter possibilis; legibus non *est respectiue*
repugnabit (§. 5.), ideoque illi respectu eius possibilitas *obligatoria.*
quaedam agendi seu facultas moralis competit (§. cit.).
Quae cum iuris notionem sistat; dissentiens hoc casu
ius dissentiendi habet. Et quum alter dissensum hunc
cognoscat (per hypoth.); sciens contra ius alterius egit,
huncque laedendo leges violauit. Quapropter haec
eius expeditio, legibus quippe repugnans, moraliter im-
possibilis est (§. 5.). Quum vero factum moraliter im-
possibile eatenus non sit respectiue obligatorium (§. 9.);
si quis contra cognitam alterius voluntatem moraliter
possibilem negotium eius expediuit; expeditio ista non
est respectiue obligatoria.

Propositionem hanc ita determinate esse enunciandam,
nec in genere dici posse, expeditionem negotii alieni contra
alterius voluntatem factam non esse respectiue obliga-
toriam, facile perspici potest ex iis, quae supra (§. 10.)
demonstrauimus. Neque etiam hanc determinationem,

B

quod

quod scilicet cognita fuerit haec voluntas ab expediente esse superuacua infra, (§. 13.) ostendetur. Idem hoc principium diuus FLAVIUS noster stabiluit *l. ult. C. de negot. gest.* vbi: *Si contradixerit dominus & res suas administrare prohibuerit, nullam omnino esse contra eum post denunciationem actionem sancimus.* Conf. *l. 8. §. fin. ff. eodem.* vbi VLPNIANVS in eadem abijt sententiam, STRYK. *caut. contr. Sect. 3. c. 1. §. 2.* Licet vero expeditio sub hypothefi §phi praesentis non fit respectiue obligatoria; & ideo nec ius ex parte eius qui eam suscepit, nec obligationem ex parte alterius producat (§. 8. 9.); per se tamen patet, inde non posse inferri, eam quoque nec in se obligatoriam dici posse, seu non obligationem in suscipiente producere.

§. 13.

Si ignoratus fuerit; distinguendum inter ignorantiam culpam & non-culpam.

Quod si vero quis contra voluntatem alterius moraliter possibilem non cognitam negotia eius expedituerit; ignorantia haec vel culposa est vel non. Si prius, cum actio culposa sit moraliter mala, adeoque legibus contraria; moraliter impossibilis est (§. 5.), nec ius ex parte eius qui negotium expedituit, nec obligationem ex parte eius cuius est negotium producens (§. 9. 7. 6.). Sin posterius; cum moraliter mala dici nequeat; nec legibus repugnans, nec ideo moraliter impossibilis est (§. 5.). Vnde etiam eam respectiue obligatoriam esse, seu ius ratione expedientis & obligationem ratione alterius producere negari nequit (§. 7.). Quapropter si quis contra voluntatem alterius moraliter possibilem culpose non cognitam negotia eius expedituerit; expeditio haec respectiue obligatoria esse nequit, bene vero si ipsa facta contra voluntatem talem non culpose incognitam.

Prin-

erga mandatarium fines mandati excedentem. II

Principiis artis nostrae haec maxime esse consentanea, neminem fugere potest, qui illa vel leuiter degustauit. Eundem in modum PAVLLVM rationes subduxisse patet ex l. 15. ff. mandati. Conf. l. 26. ff. eodem. STRVV. exerc. 22. th. 17. ibique MVLLER. Vinn. ad §. 9. Inst. mandati n. 1. in fine. Vsum haecenus euolutorum principiorum infra videbimus exuberantissimum. Atque haec de obligationibus ex dissensu eius concipiendis, cuius negotium alius quis suscepit. Iam ad illas, quae ex consensu eius fluunt, progrediendum.

§. 14.

Qui ad consensum alterius negotia eius sponte suscipit, in genere *procurator* vocatur. Consensus hic ratione eius, qui negotia suscipit vel signatus est vel non signatus (§. 3.). *Procurator ergo vel signato vel non signato alterius consensu interueniente eius negotia expedit.* *Quid Procurator & quotuplici modo alterius negotia expedit?*

Vocabulum procuratoris *πρόσωπον* esse, & mox late, mox strictè adicipi notissimum est. Latissima significatio est, quam ei tribuimus sp̄ho praesente, quo sensu idem vocabulum etiam vsurpat CICERO in *Brutoc.* 4. & PAVLLVS *Recept. sentent. l. 3.* Non equidem insciamur frequentiore esse eius adceptionem in sensu strictiori. Quum vero latissima significatio etiam ab vsu loquendi Ictorum non abhorreat; nulli dubitauimus, eam huic vocabulo hic tribuere, cum non adfit, quo talis concinuis possit insigniri.

§. 15.

Qui ad consensum alterius non-signatum negotia eius sponte expedit; *negotia illius gerere* dicitur, si ad consensum. Est igitur *negotiorum gestio* quali contractus, quo quis *sum non alterius* *quatum; ori.*

tur negotiorum gestio. alterius non-signate consentientis negotia sponte suscipit. Ille cuius negotia ab alio suscipiuntur, *dominus* ratione eorum vocatur, & qui haec negotia suscipit, *negotiorum gestor* salutatur.

Iura & obligationes vltimato ex lege descendere, & pro diuersitate connexionis vel mediatarum vel immediatarum nomine venire, supra diximus (§. 6.). Obligationes mediatæ legibus originem debent mediante facto aliquo obligatorio (§. 7.). Factum hoc vel legibus repugnat vel non, & posteriori casu vel conuentio est, seu consensum signatum partium inuoluit, vel non. Si hoc; obligatio *quasi ex contractu* esse dicitur *pr. Inst. de oblig. quae quasi ex contr.* qua denominatione paulum inflexa Doctores ipsa facta *quasi contractus* adpellarunt. Iam cum negotiorum gestio negotium sit citra consensum partium signatum ciuilem producens obligationem; ratio manifesta est, cur in numerum quasi contractuum referatur. Causa impulsua negotiorum gestoris est propensa ipsius in dominum negotiorum voluntas, cuius praesertim absentis utilitatem hoc modo promouendam studet, secundum dictum *EVRIPIDIDIS* in *Andromach.*

Τῶν γὰρ ἐκδήμων Φίλων
Δεῖ τοὺς κατ' οἶκον ὄντας ἐκποιεῖν τόχους.

quod etiam Imperator docet §. 1. *Inst. de oblig. quae quasi ex contr.*

§. 16.

Num prohibentis negotia gerantur? *Prohibentis negotia non geruntur.* Qui enim prohibet, signate dissentit quod ad negotium adhuc expediendum (§. 4.). Qui vero signate dissentit, non consentire dici potest (§. 2. 4.) adeoque nec non-signate consentire (§. 3.). Cum vero ille cuius negotia geruntur

erga mandatarium fines mandati excedentem. 13

geruntur non-signate debeat consentire (§. 15.); prohibens esse nequit, seu, quod perinde est, prohibentis negotia non geruntur.

Hoc vero duntaxat valere de dissensu moraliter possibili, ex iis quae supra (§. 10.) diximus satis superque patet. Moraliter impossibilis pro nullo habetur, & perinde est ac si non adfuisset. Confirmant praesens theorema VLPIANVS l. 8. §. 3. ff. de neg. gest. & Imperator c. 1. ult. C. eodem.

§. 17.

Quod negotiorum gestor obligatus fit ad negotia domini vtiliter gerenda, & dominus ipsi vicissim ad indemnitatem teneatur; ex Pandectis, quantum satis est, demonstratum discimus. Neque magis quemquam fuisse potest, duplicem inde actionem oriri, quarum altera directa, altera contraria vocatur. Dicunt vero *actionem negotiorum gestorum directam*, quam dominus contra negotiorum gestorem, & *contrariam*, quam negotiorum gestor contra dominum instituit ad obligationis expletionem.

Quae actiones ex negotiorum gestione oriuntur?

Negotium in genere obligatorium est, quod obligationem producit (§. 6.). Hoc fieri potest vel ratione vnus partis, vel ratione vtriusque simul. Illo casu τῶ A tantum ius aliquod & τῶ B eidem respondens obligatio competit; hoc vero τῶ B vicissim aliquod ius & τῶ A alia eidem respondens obligatio. Si prius; negotium dicitur *unilaterale*: sin posterus; *bilaterale*, quod iterum vel *absolute* vel *hypothetice* tale est, prout vel vtraque obligatio quod ad actualitatem per necessarias negotii determinationes seu essentialia eius, vel alterutra etiam per contingentes determinatur. Vnde illa obligatio etiam est

absoluta quam *principalem* dicunt, haec hypothetica; quam etiam *minus principalem* salutant. Iam ex quacunque obligatione actio quaedam descendit, quam *directam* vocant, si ex principali, & contrariam, si ex minus principali oritur. Cum vero in Pandectis demonstraretur, negotiorum gestionem esse negotium hypothetice bilaterale, & obligationem negotiorum gestoris principalem, domini vero minus principalem esse; ratio adparet cur illam Imperator *directam*, hanc vero *contrariam* dixerit §. 1. *Inst. de oblig. quae quasi ex contr.*

§. 18.

*An contraria
competat ei,
qui prohibentis nego-
tia gessit?*

Actio negotiorum gestorum contraria instituitur a negotiorum gestore contra dominum ad indemnitatem (§. 17.). Sed qui prohibentis negotia gessit, negotiorum gestor non est (§. 16.). Ergo etiam *qui prohibentis negotia gessit contra ipsum actione negotiorum gestorum contraria experiri posse merito negandum.*

Controversiam hac de quaestione olim fuisse apud magnos auctores, testis est Imperator l. 24. C. de negot. gest. Non amplius vero ipse nos dubitare passus est, cum ex sententia Salvii Iuliani controversiam ita deciderit, *ut nullam ei vel directam vel utilem contrariam actionem concefferit, quatenus scilicet contra denunciationem egit.* Interea tamen nec hodie desunt, qui cerebrina aequitate ducti ob utilem expeditionem non obstante domini prohibitione actionem contrariam concedendam putant, quos inter AVTVMNVS in *Cens. Gall. p. m. 29.* Sed videtis eos refutantem STRYK. in *Vsu Modern. de neg. gest. §. 5.*

§. 19.

*De expedi-
tione nego-
tiorum alic-*

Si quis signato domini consensu concurrente negotium illius sponte expediuit; consensus hic si tempus spectemus

speciemus respectu negotii suscepti vel prior fuit seu *an- rius ad con-*
cedens, vel posterior seu subsequens. Si prius obti- *sensum eius*
nere ponamus; varii iterum casus probe distinguendi ve- *signatum.*
niunt, qui diuersis contractibus locum praebent, prout
modi, quibus suscipitur negotium expediendum, variant.

§. 20.

Qui ad antecedentem domini consensum signa- *Quid man-*
tum negotium eius suscipit; ipsi declarat se negotium *datum?*
eius expediturum (§. 1. 2.), adeoque ipsi hoc promit-
tit. Qui vero promissionem hanc alterius de negotio
suo expediendo efficaciter adceperat, id ipsi *committere*
dicitur. Quae quidem commissio vel ita fit, vt alter
negotium commissum gratis expediat vel non. Si prius;
contractus vocatur *mandatum*. Sin posterius; quod
pro expeditione datur vel merces est vel aliud quid.
Illo casu contractus est *locatio conductio*, hoc vero *inno-*
minatus v. c. do vt facias. Quare *mandatum* defini-
unt per contractum consensualem, quo quis ad gratui-
tam negotii alieni expeditionem sponte se obligat. Qui
alteri negotia sua ita committit, *mandans* vocatur, &
qui mandantis negotia suscipit, *mandatarius*.

Differt ergo *mandatum* a reliquis negotiis huc perti-
nentibus in eo, quod gratuitum sit. Quod quidem ro-
mani ideo statuebant, quoniam *mandatum* non nisi cum
iis iniri censebant, quorum amicitia optime nobis esset
perspecta, vid. C. i. c. *pro Sext. Rosc. Amer. c. 38.* Hi vero
κατηλέυεν την Φιλανθρωπίαν visi fuissent, si mercedem
pro officio adcepissent l. 1 §. *ult. ff. mand.* Hoc interim
ficcio praeterire pede non licet, quod quamuis in sequen-
tibus semper de *mandatario* simus loquuturi; demonstranda
tamen ad alios, qui vel ex contractu locationis, vel ex in-
nomi-

nominato negotia alterius suscipiunt, possint adplicari. Quod quidem fieri posse lector philosophus facile perspiciet, cum ratio sufficiens praedicatorum in differentia mandatarii specifica non contineatur.

§. 21.

Num igno-
rans & pro-
bibens dici
possit man-
dasse?

Si quis ignoret, alterum negotia sua expediturum, vel etiam id facere ipsum prohibuerit; mandasse dici nequit. Ponamus enim, si fieri potest, ipsum mandasse. Necessesse est ut commiserit alteri negotia sua (§. 20.), & per consequens ut promissionem eius de iis expediendis adceptauerit (§. cit.). Quod quum fieri nequeat, nisi sciat alterum negotia sua expedire velle; haec scientia ipsi non potest denegari. Quoniam vero hoc hypothesei repugnat; palam est, eum qui ignorat alterum negotia sua expediturum, mandasse dici non posse. Q. e. primum.

Quum porro qui mandat, signate consentiat in expeditionem negotiorum suorum (§. 20.); non dici potest dissentire (§. 2.). Sed qui non dissentit, etiam non prohibet (§. 4.). Ergo etiam negotia sua expediri non prohibet. Vnde per immediatam consequentiam deducitur; eum etiam, qui prohibet, mandantem dici non posse. Q. e. alterum.

Si leges quaeras conf. l. 40. ff. mandati vbi PAVL-
LYM aditipulante POMPONIO in eandem abire sententiam videbis.

§. 22.

Quae actio-
nes ex man-

Mandatarii esse, omni adhibita diligentia negotium commissum expedire, sicut mandantis indemnem ipsum

ipsum ratione eius praestare, sciunt qui primis labiis *dato descen-*
praecepta iuris degustarunt. Nec minus notum est, du- *dant?*
as ex hoc contractu proficisci actiones, *directam* alter-
ram, alteram *contrariam*. Illa est, quam mandans con-
tra mandatarium, *haec* quam mandatarius contra man-
dantem instituit ad satisfaciendum obligationi.

Conferantur quae diximus in scholio ad §. 19.

§. 23.

Actio mandati contraria instituitur a mandatario *Contraria*
contra mandantem ad indemnitatem (§. 22.). Quare *non datur*
ubi non est mandans, ibi nec haec actio locum habebit. *contra igno-*
Sed qui ignorat vel prohibet, mandans non est (§. 21.). *rantem pro-*
Vnde *nec contra ignorantem vel prohibentem negotia* *bibentem.*
expediri actione mandati contraria expediri datur.

§. 24.

Mandatarius obligatus est ad negotia mandantis *Ius manda-*
expedienda, quatenus scilicet ille signate consentit (§. *tarii deter-*
20.). Iam vero ex obligatione ius aliquod concipien- *minatur.*
dum (§. 6.). Ergo etiam mandatarius ius habet ne-
gotia mandantis expediendi, quatenus mandans in hanc
expeditionem consentit. *Ius ergo mandatarii qua ta-*
lis ex consensu mandantis signato concipi datur, &
quousque se hic consensus mandantis extendit, eousque
se etiam ius mandatarii extendere dicendum est.

Prone haec alueo fluunt ex iis, quae supra diximus.
Quod mandatarius qua talis obligatus est facere, a man-
dante ipsi esse debet commissum (§. 20.). Quod a man-
dante ipsi commissum, in id mandans signate consentit
(§. cit.). Quod ergo mandatarius obligatus est facere,

C

per

per consensum mandantis signatum determinetur oportet. Quod vero obligatus est facere, ratione eius ipsi facultas moralis comperit (§. 5.) adeoque ius tribuendum. Ergo etiam quod mandatarius facere ius habet, ratione eius consensus mandantis signatus adesse debet, seu ius mandatarii qua talis per consensum mandantis signatum determinatur. Eundem in modum ICRUM CAIVM rationes subduxisse patet ex l. 41. ff. *mandati*, vbi: *si is, inquit, qui mandatum suscepit egressus fuerit mandatum; ipsi mandati iudicium non comperit.*

§. 25.

Fines mandati quid?

Consensus signatus mandantis est ratio iuris mandatarii qua talis ratione negotiorum expediendorum (§. 24.), & pro diuersa illius extensione huius etiam extensio variat (§. cit.). Iam cum consensus hic mandantis mox haec mox illa, mox plura, mox pauciora negotia, mox hunc, mox illum ea expediendi modum pro obiecto habere possit; quantum in illo ratione obiecti concipere licet, quod idem eodem modo, in iure mandatarii qua talis obtinet (§. cit.). Quod si hanc consensus quantitatem determinatam cogitemus; incidimus in notionem *finium mandati*. Vt adeo *fines mandati* nihil aliud sint, quam determinata haec consensus mandantis quantitas.

^{Ἐγγραφον} quidem hoc vocabulum est, definitionem tamen eius leges non suppeditant, quam ideo hic dare debuimus, quod infra eadem ad demonstrandas alias veritates indigebimus. Interea licet notio distincta a clara formaliter differat; materialiter tamen eas posse coincidere ideo non negandum; immo conuenire debent, quatenus eundem conceptum obiectiuum habent. Quare etiam nostram *finium mandati* notionem cum clara, quae menti Impera-

erga mandatarium fines mandati excedentem. 19

Imperatoris obuersata fuit optime conuenire, ex facili perspicui potest, modo attendatur ad casus illos, ubi terminum hunc adhibet. Sic ipse §. 8. *Inst. de mandato, qui exsequitur*, inquit, *mandatum, non debet fines mandati excedere: ut ecce si quis usque ad centum aureos mandauerit tibi ut fundum emeret, vel ut pro Titio sponderes: neque pluris emere debes, neque in amplio rem summam fidei habere, alioquin non habebis cum eo mandati actionem.* Qui habitum sibi adquisiuit perspicendi abstracta in concretis, sine ullo negotio idemnitatem notionum cognosceret. Si cui mando, ut fundum mihi ad centum aureos emat; consentio in expeditionem certi alicuius negotii, quod tanquam partes complectitur 1) emtionem, 2) fundum aliquem, & 3) determinatum pretium. Sunt haec tria obiectum consensus, quae a mandatario expediri volo. Si ille vero praeter haec tria commissa aliud quid faciat, v. c. maius quam determinavi pretium soluat; suscipit aliquid, quod obiectum consensus mei dici nequit, & extendit ita quantitatem eius ratione obiecti, quae duntaxat his tribus constabat. Sed Imperator etiam hoc negat factum esse intra fines mandati. Vnde manifestum, ipsum etiam huic termino eandem notionem tribuisse, quod nimirum sit *determinata consensus mandantis ratione obiecti expediendi quantitas.*

§. 26.

Fines mandati determinant quantitatem iuris mandatarii qua talis. Fines enim mandati sunt determinata consensus mandantis quod ad obiectum quantitatis (§. 25.). Sed haec quantitas quantitatem iuris mandatarii determinat (§. 24.). Ergo etiam fines mandati eandem determinant.

Sic mandatarium, qui fundum, quem ipsi usque ad centum tantum emere mandauit, pluris emit, ius non ha-

bere plus impendendi Imperator negat *c. §. 8.* cum quod plus impendit intra fines mandati non contineatur. Vnde etiam PAVLLVS *l. 5. ff. mandati* diligenter fines mandati custodiendos tradit, in quam sententiam etiam CAIVS abijt *l. 41. ff. eodem.* Eandem hanc regulam inculcat SOPHOCLES in Tragoedia:

Ἐπεὶ καὶ Φύλασσε πρώτῃ μὲν μόνον
Τὴν μὴ πιδυμῆν πεμπὶς ὧν περισσὰ δῶν.

§. 27.

Comprehendunt etiam ea, quae tacite mandata sunt. *Fines mandati etiam tacitum mandantis consensum continent.* Constant enim determinata consensus eius quantitate (§. 25.). Cum vero ille sit signatus (§. 20.), qui etiam tacitum completitur (§. 3.); manifestum est, fines mandati etiam tacitum mandantis consensum continere.

Sic e. gr. qui mandat mihi, vt equum ipsius 50 florenis vendam, ipso hoc facto declarat, se nolle quidem vt minus adiciam, consentire tamen in maius pretium adiciendum. Ponamus ergo me eundem equum 80 florenis vendere; quod intra fines mandati continetur feci. Quid? quod si maiori illum pretio vendere potuiffem, & nihilo minus pro eo verbis expressum pretium adcepi, teneor mandanti ad pretium vulgare pro ratione loci & temporis supplendum, LAVTERB. *Concl. For. Exerc. 30. 1b. 2.* Quare optime VLPIANVS *l. 60. ff. de R. I. qui non prohibet pro se interuenire, mandare creditur;* quod etiam confirmant *l. 6. §. 2. l. 18. l. 53. ff. mandati.* Simile exemplum tractat Imperator *c. §. 8. in fine,* & PAVLLVS *c. l. 5. in fine.*

§. 28.

Cum necessario connexorum ea sit natura, ut *Quae explicite & implicite mandata dicantur?* vnum sine altero esse nequeat; qui vnum vult necessario connexorum, alterum etiam nolle nequit. Quod si ergo in mandato cum expeditione negotii commissi quaedam necessario connexa sint; haec etiam eo ipso voluisse mandans intelligitur. Quare & haec vel expressis verbis mandauit vel non. Priori casu ea *explicite*, posteriori vero *implicite* mandasse dicitur.

E. gr. Si quis mihi mandet, ut lipsiae ipsi certas comparem merces; implicite etiam mandauit, ut eo proficiscar, quum alias negotium commissum expedire nequeam. Cum vero profectio variis modis determinari possit, quia tam pedes quam eques eo ire, immo & curru vehi possum; omnes sub disiunctione non singuli implicite mandati sunt, cum non singuli necessario cum expeditione commissa connectantur. *Conf. l. 2. ff. de iurisd.*

§. 29.

Quod implicite mandatum, sub consensu tacito mandantis continetur. Quod enim implicite mandatum, in id mandans ea propter consentire dicitur, quod *implicite mandata sunt.* explicite mandauit, cum quibus ea necessario connexa sunt (§. 28.). Quare cum consensus hic non immediate ex verbis inferatur; quod implicite mandatum, sub consensu tacito continetur (§. 3.).

§. 30.

Quod implicite mandatum, intra fines mandati continetur. Quod enim implicite mandatum, *Adeoque etiam intra fines mandati continentur.* continetur sub consensu tacito mandantis (§. 29.). Sed fines mandati etiam tacitum mandantis consensum conti-

nent (§. 27.). Ergo etiam quod implicite mandatum intra fines mandati continetur.

Inlustrat hanc propositionem exemplum ad §. 28. adductum.

§. 31.

*Quid serua-
re vel custo-
dire fines
mandati.*

Fines mandati quantitatem iuris mandatarii quae talis determinat (§. 26.). Non potest igitur mandatarius quae talis aliud negotium, nec alio mandatum expedire modo, quam ipsi consensu mandantis commissum. Huic obligationi mandatarius vel satisfacit vel non. Si prius; *fines mandati, seruasse vel custodiuisse* dicitur.

Sic si Caio mandem, ut equum Titii certo pretio mihi emat, & ipse eundem non alium determinato non maiori pretio comparet; fines mandati ipsum seruasse dicimus. Eundem huic termino notionem tribuisse PAVLUM manifestum ex *l. 5. pr. §. 2. 3. ff. mandat* ubi Ictus eum qui seianam domum centum emere iussus, aliam vel dictam quidem, maiori tamen pretio emerit, fines mandati custodiuisse negat.

§. 32.

*Quid sit ad-
implere
mandatum
in forma
specificata &
per acqui-
pollens.*

Qui mandat signate consentit in expeditionem negotii sui (§. 20.), adeoque consensum signis declarat (§. 3.). Quod si signa haec voluntatis eius verba sint; duplex casus occurrit. Vel enim determinata voluntas ex solis verbis immediate potest concipi, vel ex verbis quidem, mediate tamen adiutis aliis rationibus. Priori casu *sensum* verborum *litteralem*, posteriori vero *mentem* eorum nobis exhibet. Quo quidem casu posteriori mandatum perficitur vel secundum sensum horum verborum

borum litteralem, vel eo neglecto secundum mentem eorum. Qui secundum sensum verborum mandantis litteralem mandatum perficiunt, adimplere illud dicuntur *in forma specifica*, sicut *per aequipollens*, qui eo neglecto idem faciunt secundum mentem eorum.

Rem ipsam ius nostrum non ignorare licet, terminos non habeat, mox dicenda abunde docebunt. Vnde etiam simul adparebit, nos terminos hos menti legum & vsui loquendi ICorum conformiter definiuisse. Ponamus e. gr. me Titio mandare, vt centum aureos mihi a Meuiο mutuos dari curet, & hunc in finem pro me in hanc summam fideiubeat. Ponamus vero Titium loco intercessionis tanquam medium finis propositi mandatae, eamdem summam proprio nomine a Meuiο mutuum sumere, & mihi vicissim dare. Per aequipollens mandatum eum adimpleuisse dicimus, quod in forma specifica factum fuisset, si actu pro me in summam determinatam intercessisset.

§. 33.

Si quis per aequipollens mandatum perfecit; Qui per fines mandati adhuc seruasse dicendus est. Qui enim *aequipollens* per aequipollens mandatum perfecit, secundum mentem *adimplet*, *fines mandati* verborum mandantis negotium commissum effectum dat *seruat*. (§. 32.). Sed mens verborum species voluntatis signatae loquentis est (§. cit.). Ergo qui per aequipollens mandatum perfecit, quod ipsi commissum secundum voluntatem seu consensum signatum mandantis expedit. Qui vero negotium secundum consensum signatum mandantis perfecit, fines mandati seruatur (§. 31.). Ergo etiam qui illud per aequipollens perfecit.

In

In Ontologia docemur, *eadem sibi semper substitui posse eo respectu quo eadem sunt.* Iam quum *τα ἰσοδυναμα* eadem sint, quatenus vt talia considerantur; necesse etiam est, vt hoc respectu vnum in locum alterius substitui queat, & perinde sit, vtrum mandatarius mandatum in forma specifica, an per aequipollens expediat. Nec aliter iuris nostri auctores sensisse, textus loquuntur non vnus. Sic PAVLLVS l. 46. ff. *mandati*, *quotiens*, inquit, *incertum vel plurium causarum mandatum sit; tunc licet aliis praestationibus exsoluta sit causa mandati, quam quae ipsi mandato inerant, si tamen hoc mandatori expedierit, mandati erit actio.* Idem confirmat SCAEVOLA l. vlt. §. 1. in fine ff. *eodem*, vbi visionem proponit haut absimilem ei quam dedimus in scholio Sphi praecedentis. Dissentit STRYK *Vs. Modern. tit. mand. §. 3.* quod ad mandatum qualificatum. Si vero conferas §. 3. cum praecedente; non obscurum erit, eum notionem mandati qualificati immutasse, & quod §. 3. continetur huc non tanquam exceptionem pertinere.

§. 34.

Quis excedere fines mandati dicatur?

Si mandatarius obligationi suae fines mandati seruandi minus conuenienter egerit; vel nullum omnino negotium expediuit, vel aliquod quidem a determinato tamen commisso negotio diuersum. Illo casu *mandatum* in totum *neglexisse*, hoc vero *fines eius excessisse* dicitur.

E. gr. Si Caio mandem, vt in auctione quadam publica certum mihi librum determinato pretio emat, nec ipse fines mandati custodiendo, quod ipsi commissum expediuerit; vel nullum omnino librum emit, vel emit quidem sed non quem volui, aut quo volui pretio. Si illud fecit; mandatum in totum neglexit: sin hoc; non neglexit quidem, attamen fines eius excessit. Conuenien-

nientiam distinctae huius notionis cum clara, quae menti Imperatoris & ICtorum obuerfata est, abunde docent §. 8. *Inst. de mandato. l. 5. pr. §. 1. sqq. ff. eodem.* ubi casus propofitos eam continere haut difficulter perfpiciet, qui non omni deftituitur acumine peruidendi abftra&ta in concretis,

§. 35.

Si mandatarius fines mandati excedit; mandans *Diuerfi casus* hoc vel fcit, vel ignorat. Si mandans fcit mandatarium *ratione* mandati fines excedere; iterum vel contradicit, vel non. *scientiae mandantis.*

§. 36.

Si mandatarius praesente & sciente nec contra- Num videa-
dicente mandante fines mandati excedat; eos non exce- tur excessiffe,
fiffe censendus est. Si enim mandans praesens fcit, *qui id facit*
mandatarium diuerfum negotium a commisso expedire, *praesente &*
nec tamen contradicit; ipfo hoc facto declarat, se in *sciente man-*
expeditionem mandatarii consentire (§. 3.) Perficit er- *dante nec ta-*
go mandatarius negotium ad signatum mandantis con- *men contra-*
fensum (§. cit.), adeoque quum eo ipfo fines mandati ser- *dicente?*
uet (§. 31.); non eos excessiffe dici potest (§. 34.).

Contradictorium quidem esse videtur fines mandati excedere, & eos non excedere. Sed paullum adtendenti statim patebit, nihilominus liberam esse a contradictione adfertionem nostram. Non enim hoc casu vnum, sed reuera duplex mandatum adest, & hinc idem quidem non tamen de eodem adfirmatur & negatur. Ratione prioris mandati mandatarius utique fines mandati excedit, cum faciat quod ab ipso diuerfum. Quoniam vero posterior tacitum priori latius patet; respectu eius fines seruauit. Vnde eatenus etiam, cum voluntas posterior deroget priori, in genere dicitur fines mandati non excessiffe.

D

fiffe.

fiffe. Conf. Perinlustr. Academiae nostrae Cancellarius L. B. a WOLFFLur. Natur. Part. III. Cap. II. §. 702.

§. 37.

*Duo modi
eruntur fi-
nes mandati
excedendi.*

Si mandatarius fines mandati excessit, expediuit quidem negotium aliquod, diuersum vero a negotio commisso (§. 34.) Iam diuersorum duo sunt genera. Sunt enim vel ita comparata, vt simul consistere nequeant & vnum alterum tollat, vel contraria se ratione habent. Illa *opposita*, haec vero *disparata* vocantur. Quare quum mandatarius fines mandati excedens diuersum faciat a negotio commisso (§. cit.); *vel oppositum vel disparatum eius faciet*, quod ex mandato ipsi erat faciendum.

E. gr. Si Caio mandem, vt mihi in auctione librum aliquem, sed non nisi pretio 6 florenos non excedente emat, ipse vero 8 florenis eundem mihi comparet; fines mandati excessit faciendo oppositum eius quod facere debebat. Nam librum aliquem non nisi 6 florenis emere, & pro eodem 8 florenos dare contraria sunt, & simul stare nequeunt. Si vero ponamus Caium praeter librum determinatum alium quemdam aequo pro me emere pretio; fines mandati quidem iterum excessit, cum ipsi hoc non commiserim. Quoniam vero emtio alius libri non tollit emtionem libri determinati; non exclusiue commissam; quod Caius facit excedendo fines mandati, disparatum est a negotio commisso.

§. 38.

*Quid sit vio-
lare & mi-
grare fines
mandati.*

Si mandatarius fines mandati excedens oppositum seu contrarium faciat eius, quod ipsi erat faciendum; *contra fines mandati*: sin disparatum eiusdem;

praeter

praeter fines mandati agere dicitur. Illo casu eum breuitatis ergo *fines mandati violasse*, hoc vero *migrasse* dicemus.

En igitur duplicem modum, quo mandatarius mandati fines excedere potest ex ipsa eius notione concipiendum. Communiter has species non solent distinguere. Sed diuisionem hanc maxima non destitui vtilitate ex sequentibus patebit. Qui fines mandati violat, facit, quod ex non mandato facere debebat. Qui vero eos migrat, facit, quod non ex mandato facere debebat. *Α'γαθος* quidem est haec diuisio quod ad terminos, sed ideo eam nullum in legibus inuenire praesidium, nemo sane adferret, & contrarium, quae sequuntur, docebunt euentissime.

§. 39.

Si quis mandati fines violat; eatenus negotium prohibentis facit. Qui enim mandati fines violat; facit oppositum eius quod ex mandato facere debebat (§. 38). Si negotium, quod expedit, oppositum est negotio mandato; vtrumque simul consistere nequit, sed illud hoc tollit & contra (§. 37.). Quare quum mandans hoc perfici voluerit (per hypoth.), & illius omisso cum hoc necessario connexa sit (§. cit.); non potuit etiam non illius omissionem velle (§. 28.). Qui vero vult aliquod negotium omitti seu non fieri, ille quod ad eius expeditionem dissentit (§. 2.). Quare mandans etiam ratione eius pro dissentiente habendus est, & cum hanc suam voluntatem facto declarauerit (per demonstr.), pro prohibente (§. 5.). Si quis igitur fines mandati violat, eatenus negotium prohibentis facit.

Ponamus me Titio mandasse, vt mihi vnicum equum marem nigri coloris emat. Ponamus eum mihi emisse equam albi coloris. Cum contrarium fecerit eius, quod facere ex mandato debebat; fines mandati violauit. Sed equis inficias ibit, prohibentis eum negotium fecisse? Eo ipso enim dum ipsi declaro, me velle vnicum equum marem nigri coloris, simul ei significo, me nolle quemcunque alium, adeoque talem meo nomine emere ipsum prohibeo. Et si nihilo secius emit; contra prohibitionem meam illud fecisse merito dicendus est. Atque hanc prohibitionem hoc casu in genere adesse, demonstratione sphi praesentis satis apparet, quam tam expressam quam tacitam esse posse, facile est ad existimandum.

§. 40.

*Nec habet
eatenus man-
dati actionem
contrariam.*

Qui prohibentis negotia expedit, contra eum actionem mandati contrariam instituere nequit (§. 23.); Quem vero mandatarius, quatenus fines mandati violat reuera prohibentis negotia gerat (§. 39.); *illi etiam eatenus actio mandati contraria contra mandantem merito neganda.*

E. gr. Si in casu sphi praecedentis Titius equam albi coloris aequo sane pretio pro me emit; mandati tamen mecum agere nequit ad pretium eius repetendum. Quum enim equam illam emendo violauerit fines mandati; contra prohibitionem meam hoc fecit, ideoque non vt mandatarius. Idem etiam adferit PAVLLVS l. 40. ff. mandati adstipulante CAIO l. 41. ff. eodem, qui si is, inquit, qui mandatum suscepit gressus fuerit mandatum; ipsi mandati iudicium non competit.

§. 41.

Quae opposita sunt nihilominus in quibusdam tamen determinationibus conuenire possunt. Quodsi ergo mandatarius fines mandati violando oppositum negotium perfecerit; negotium hoc in quibusdam tamen determinationibus conuenire potest cum negotio expediendo, & per consequens cum voluntate mandantis. Quatenus negotium expeditum cum voluntate mandantis conuenit; eatenus mandatarius fines mandati seruauit (§. 31.). Quatenus fines mandati seruauit; eatenus ius agendi habuit (§. 26.), & per consequens mandantem sibi obligatum tenet (§. 7.), quo nomine ipsi actio mandati contraria competit (§. 22.). Quare merito inferimus, *mandatarium fines mandati violantem nihilominus tamen, quatenus negotium expeditum voluntati mandantis conforme est, eo nomine cum eo mandati agere posse.*

Quae tamen ipsi non deneganda, quatenus negotium expeditum cum voluntate mandantis conuenit.

Ideas oppositas de se inuicem quidem negari secundum totam comprehensionem coniectiue non uero distributiue suntam logici demonstrant. Quare etiam negotia opposita licet in quibusdam determinationibus differant, in aliis tamen conuenire possunt. Ponamus e. gr. Sempronium mihi mandasse, ut Titii horologium aureum ipsi 50 aureis emam. Ponamus Titium non nisi 60 aureis idem vendere uelle. Quodsi tot ipsi soluo; fines mandati uolau, cum contrarium fecerim eius, quod facere me oportebat. Licet uero, quod feci, diuersum sit a negotio commisso; in multis tamen cum eo conuenit, & differentia tantum absoluitur 10 aureis, quos adhuc contra uoluntatem mandantis pro horologio dedi. Uolau igitur fines mandati solum quod ad hos decem aureos, & quod ad reliquum eos custodiui. Iam cum actio mandati contraria mihi tantum denegetur, quatenus fines mandati uolau (§. 40.).

aequum est, ut quatenus per expeditionem negotii illi violati non sunt, actio haec mihi concedatur. Procul dubio igitur contra Sempronium mandati agere possum ad adiciendum horologium emptum pro pretio 50 aureorum, quos in eius emtionem impendi voluit. Controversia hac de re iam olim inter LABEONIS & CAPITONIS adfectas fuisse agitatam ex l. 3. & 4. ff. mandati discimus. Videlicet SABINVS & CASSIVS negabant mandatario contra mandantem actionem mandati in hypothesei proposita competere, quatenus scilicet intra fines mandati esset versatus. Ratio quam PAVLVS eandem amplexus sententiam c. l. 3. adfert, sublesta erat, quod iniquum esset vni dari actionem, alteri vero denegari. Contra ea NERVA & PROCVLVS existimabant, mandatarium contra mandantem recte mandati agere posse, quatenus nimirum negotium expeditum voluntati mandantis esset conforme. Et haec sententia tanquam rationi & aequitati consentanea non tantum confirmata est c. l. 4. sed ipse etiam Imperator hanc litem dedit secundum PROCVLEIANOS §. 8. Inst. de mandato. Aliam huius theorematis demonstrationem dedit Perinlustri L. B. a WOLFF. c. §. 686.

§. 42.

*Nec etiam
negotiorum
gestorum.*

Qui prohibentis negotia gerit, contra dominum etiam actione negotiorum gestorum contraria experiri nequit (§. 18.) Quare quum qui fines mandati violat, eatenus prohibentis negotia gerat (§. 39.), nec actio negotiorum gestorum contraria ipsi contra mandantem erit concedenda.

Sic in casu scholii ad §. 39. Titius nec tanquam negotiorum gestor pretium reperere potest, quum prohibentis negotia geri nequeant (§. 6.). Olim de hac quaestione controversiam fuisse inter ICTOS, iam supra notauimus ad (§. 18.). Sed expresse confirmat nostram propositionem.

sitionem PAVLLVS l. 40 ff. *mandati* vbi ad stipulante POM-
ONIO taxat, qui hoc casu *utilem actionem* concedendam
arbitrantur. Eodem etiam modo Imperator litem deci-
dit l. ult. G. de *negot. gest.* Interea hic reperendum, quod
iam supra diximus, scilicet *dissensum prohibentis* esse de-
bere moraliter possibilem, cum alias nihilominus actioni
negotiorum gestorum locum faciat.

§. 43.

Qui fines mandati violat, prohibentis negotia *Agit contra*
gerit (§. 39.). Expedit igitur negotium contra signa- *cognitam vel*
tam alterius voluntatem (§. 5.). Hanc voluntatem *culpose igno-*
mandatarius cognoscit, vel si ignoret, in culposa eius *ratam alte-*
ignorantia est, cum signa praesto sint, vnde illam scire *rius volunta-*
potuisset (§. 39. 2.). Quod si ergo haec mandantis vo- *tem.*
luntas moraliter possibilis sit; *fines mandati violans*
mandatarius vel contra cognitam vel saltem culpose
ignoratae mandantis voluntatem moraliter possibi-
lem negotium eius peragit.

§. 44.

Si mandatarius fines mandati violat contra Adeoque
voluntatem mandantis moraliter possibilem; mandan- *mandantem*
tem hoc facto, quatenus scilicet fines violauit, nullo plane non
modo obligasse dicendus est. Nam si fines mandati vio- *obligat.*
lat; contra cognitam vel saltem culpose ignoratam man-
dantis voluntatem negotium eius expedit (§. 43.). Sed
talis expeditio non est respectiue obligatoria, nec priori
casu (§. 13.) nec posteriori (§. 15.). Ergo etiam man-
datarius fines mandati hoc modo violans, eatenus do-
minum nullo modo obligauit.

Ponamus me Caio mandasse, vt Sempronio
non vltra 50 aureos mutuos det. Si Caius plures v. l. c.

60 ipsi dedit; fines mandati violauit contra voluntatem meam moraliter possibilem. Quare etiam Caius me non obligatum tenet ratione eius quod contra fines mandati fecit, sed si damnum incurrit; imputet sibi, quod non fines mandati seruauerit.

§. 45.

*Nec iure
gaudet in-
demnitatem
petendi.*

Ex obligatione ius concipitur (§. 7.). Quare quum in hypothese §phi praecedentis in mandante sub addita limitatione nulla sit obligatio respectu mandatarii (§. 44.); *mandatarius etiam nullum ius habet a mandante indemnitatem petendi, quatenus nimirum fines mandati violauit.*

Hinc etiam Imperator in *l. fin. C. de negot. gest.* ei qui prohibentis negotium expedit *nullam esse aduersus eum vel directam vel uilem actionem* expresse sanciuit. Nullum igitur mandatario hoc casu remedium suppetit ad indemnitatem consequendam, quoniam in genere iure eam petendi destituitur.

§. 46.

*Mandans ta-
men contra
eum recte
mandati
agit.*

Ponamus vero mandatarium fines mandati violentem hoc facto mandanti damnum intulisse. Quum ex contractu obligatus fuerit ad commissum negotium in utilitatem mandantis perficiendum (§. 22.); patet eum obligationi suae minus conuenienter egisse. Et quia ad satisfaciendum eidem mandanti actio mandati directa competit (§. cit.); nullum dubium est, *quin mandans, si mandatarius fines mandati violando ei damnum intulerit contra eum hoc nomine mandati experiri queat.*

Adcidit

erga mandatarium fines mandati excedentem. 33

Accidit igitur hoc casu, vt mandans contra mandatarium agere queat, non vero reciproce mandatarius contra mandantem. Quod etiam CAIVS docet *l. 41. ff. mandati vbi: potest etiam ab vna duntaxat parte mandati iudicium dari.* Nam si is, qui mandatum suscepit, egressus fuerit mandatum; ipsi quidem mandati iudicium non competit, at ei qui mandauerit aduersus eum competit.

§. 47.

Haec de priori modo fines mandati excedendi, *Transitus ad* & de iuribus & obligationibus inde descendentibus. *alterum mo-* Restat, vt adhuc de posteriori dicamus, qui obtinet si *dum ex-* negotium expeditum diuersum a negotio commisso ad *dendi fines* idem se non vt oppositum, sed vt disparatum habeat, seu *mandati.* si mandatarius fines mandati migrauerit. (§. 38.).

§. 48.

Si mandatarius fines mandati migrat; eate- *Qui migrat* *mus ignorantis mandantis negotium expedit.* Fac *fines manda-* enim, si fieri potest, mandantem non ignorare manda- *ti, ignoran-* tarium fines mandati migrare. Scit ergo mandatarium *tis negotium* negotium a commisso diuersum expedire (§. 34.). Cum *expedit.* negotium disparatum sit cum voluntate signata (§. 38.); oppositum ei esse nequit (§. 37.), adeoque nec ipse signate dissentit (§. 4.). Quare quum sciat (per hypoth.), nec contradicat (per demonstr.); hoc facto declarat, se in factum mandatarii consentire (§. 2. 3.). Adest ergo mandantis consensus tacitus (§. 3.), atque mandatarius in fines mandati non excessit (§. 34.), & per consequens non migravit (§. 38.). Quod quum hypothesei repugnet; palam est, mandatarium fines mandati migrantem eate-nus ignorantis mandantis negotium expedire.

E

Ponamus

Ponamus e. gr. Caium iter aliquod suscepturum mihi mandare, vt absentis eius agrorum curam geram. Ponamus porro interea aedes eius adeo ruinosas fieri, vt refectione indigeant. Quod si eam suscipio; vtique facio aliquid diuersum a negotio mandato, & hinc fines eius excedo. Cum tamen contrarium non sit eius, quod facere me oportet; praeter fines mandati hoc fecisse, seu eos migrasse dicendus sum. Sed quis est, qui non videat, me eatenus inscii & ignorantis Caii negotium expediuisse?

§. 49.

*Ideoque non
habet actionem
mandati contra-
riam.*

Qui ignorantis negotium expedit, eatenus mandatarius dici nequit (§. 21.), nec actionem mandati contrariam habet (§. 23.). Quare quum fines mandati migrans ignorantis negotium gerat (§. 48.); *eatenus etiam ipsi actio mandati contraria non competit.*

Sic e. gr. in casu scholii praecedentis si impensas feci in refectionem aedium Caii mihi non mandatam; earum nomine mandati cum eo agere haut quaquam licet. Actio enim mandati contraria eatenus tantum mihi suppetit, quatenus ex mandato aliquid peregi, nec extendenda ad ea, quae extra mandatum facta sunt.

§. 50.

*Vnde in genere infer-
tur, eam
nulli fines
excedenti
competere.*

Dupliciter fieri potest, vt mandatarius fines mandati excedat (§. 38.). Sed siue vno, siue altero modo faciat; nunquam eatenus actionem mandati contrariam instituire potest (§. 40. 49.). In genere ergo dicendum, *mandatario, qui fines mandati excessit, eatenus contra mandantem actionem mandati contrariam non competere.*

Hinc

Hinc etiam CAIUS supra c. l. 41. ff. mandati generaliter loquitur, *si is, inquit, qui mandatum suscepit, egressus fuerit mandatum; ipsi mandati iudicium non competit.* Licet vero ex demonstratis adpareat, mandati actionem mandatario dicta sub hypothese non concedendam; non tamen inde etiam ad alias actiones ipsi denegandas concludere licet. Ratione eius qui fines mandati violavit, id supra demonstratum dedimus (§. 44. 45.). Quid vero circa eum obtineat, qui fines mandati migravit, ulteriore disquisitione adhuc eruendum.

§. 51.

Si mandatarius fines mandati migrat; non-prohibentis negotium suscipit. Qui migrat prohibentis *fac enim prohibentis fines non-negotium esse susceptum.* Ergo mandans signate dissen-
tit (§. 4.), ideoque dissensum suum factis declaravit *negotium fa-*
(§. cit.). Erit igitur negotium contrarium eius volun-
tati signatae (§. 37.), & hinc non disparatum cum ea
(§. cit.). Ergo etiam mandatarius fines mandati non
migrat (§. 38.). Quod quum sit contra hypothese; si
mandatarius fines mandati migrat; eatenus non prohi-
bentis negotium suscipit. *cit.*

Veritas huius propositionis in casu singulari manifestissima adparet, quod perspicuum erit, demonstratione eius ad casum scholii ad §. 48. applicata. Simul ac enim ponamus, me prohibentis Caii negotium gessisse suscepta aedium eius refectione; quilibet statim percipiet, notionem τὸν migrare fines mandati congruere, & conspiciem eius, scilicet violationem finium eo ipso poni.

§. 52.

*An inde con-
cludi queat
ad consen-
sum alteri
non-signa-
tum.*

Quapropter cum mandans hoc casu nec signate consentiat (§. 48. 3.), nec etiam signate dissentiat (§. 51.); adhuc de non-signato eius tam consensu quam dissensu dispiciendum. Uterque non ex signis eius arbitrariis, sed ex aliis concipitur rationibus (§. 3. 4.). Quare *in dato quolibet casu attendendum, an rationes adsint, ex quibus consensus eius non-signatus conligi queat, nec ne.*

Quum infra demonstraturi simus, mandantem fines mandati migrantem in negotiorum gestorem degenerare posse; non probasse sufficit, eum ignorantis & non prohibentis negotium gessisse. Sed quum dominus negotiorum non-signate consentire debeat; necesse est, ut in hunc etiam consensum inquiramus, quod sequentibus fiet.

§. 53.

*Quando quis
aliquid non-
signate velle
dici queat?*

Voluntas nostra determinatur per motiva. Haec sunt repraesentationes boni alicuius vel mali. Bonum est, quod statum nostrum perficit, & malum, quod illum imperfectiorem reddit: Illud etiam *utilitatem*, hoc *damnum* adferre dicitur. Quodsi igitur adpareat, negotium aliquod ita comparatum esse, ut alteri inde utilitas quaedam obueniat, vel ille saltem id existimet; merito iure id non-signate velle dici potest (§. 3.).

§. 54.

*Idem ad con-
sensum non-
signatum ad-
plicatur.*

Si quis eiusmodi negotium alienum expediat; non-signatus in eius expeditionem alterius consensus adest. Si alter enim quis tale negotium expediat; dici potest non-signate velle, ut id expediatur (§. 53.). Quare

Quare cum qui id actu expedit, idem velit (§. 2.); cogitamus identitatem voluntatum duorum in negotio aliquo effectum dando, & per consequens consensum (§. cit.) Et quoniam ille ex parte eius, cuius est negotium, non-signatus est (§. 53. 3.); patet, si quis eiusmodi negotium expediat, consensum alterius in expeditionem eius non-signatum adesse.

§. 55.

Si mandatarius fines mandati migrans negotium perfecit, quod ita comparatum est, ut domino inde utilitas quaedam vel actu obueniat, vel ipse saltem eam sibi inde obuenire credat; eatenus negotiorum gestor mandantis est. Quando migrans fines mandati negotiorum gestor mandantis sit. Si enim negotium, quod praeter fines mandati suscepit, ita comparatum fuerit; mandans non-signate in eius expeditionem consentire dici potest (§. 54.). Mandatarius ergo hoc casu negotium alterius non-signate consentientis expediuit. Qui quum negotiorum gestor vocetur (§. 5.); mandatarius eatenus recte mandantis negotiorum gestor est.

Sic in casu scholii ad §. 48. quod ad refectionem aedium negotiorum gestor Caii sum, licet quod ad culturam agri eius sim mandatarius. Evidentia propositionis nititur canone logicorum tritissimo, cui competit definitio eidem etiam competere definitum. Characteres definitionis mandatario dicta sub hypothese competere, quantum satis est, euicimus. Quapropter nullum amplius superest dubium, quin idem negotiorum gestoris nomine possit insigniri.

§. 56.

*Vnde ipsi eo casu actione-
gotiorum ge-
storum con-
traria com-
petit.*

Negotiorum gestori ad indemnitate[m] consequendam actione negotiorum gestor[um] contraria contra dominum experiri licet (§. 18.). Iam vero mandatarius, si fines mandati migravit, sub hypothese §phi praecedentis vt mandantis negotiorum gestor considerari potest (§. 55.). Ergo etiam largiendum est, *ipsi sub his determinationibus actionem negotiorum gestor[um] contrariam contra mandantem ad indemnitate[m] consequendam iure competere meritissimo.*

Celebris non quidem inter conditores, sed interpretes iuris controuersia agitata fuit, vtrum mandatarius fines mandati excedens contra mandantem negotiorum gestor[um] contraria experiri queat. Genuinam eius decisionem ex ipsa rei natura deductam suppeditat §. praesens conlatus cum §. 42. scilicet distinguendo esse respondendum, inter eum qui fines mandati violauit, & qui eos migravit, ita vt illi quidem actio denegetur, non vero huic, quatenus negotium vtiliter gessit. Nec obstat l. 37. §. 1. ff. de pecul. vbi ICtus dominum, qui seruo vicarium octo aureis emere permiserat, cum ille decem eum emerit, non teneri adserit soluere pretium vltra summam determinatam, aut solum venditori relinquere. Cum enim seruus contra voluntatem domini vicarium pluris emisisset; haut obscurum est, hunc textum huc plane non pertinere, sed potius ad violationem finium mandati, de qua idem docuimus supra (§. 44. 45.). Idem respondendum ad l. 31. §. 4. ff. de neg. gest. vbi PAPINIANVS libertos defuncti, qui ad sumtum monumenti certam pecuniae summam adcipere debebant, quod amplius ab ipsis erogatum iudicio negotiorum gestor[um] repetere negat. Ratio enim, quam subiungit, *voluntatem nimirum suam erogationis fecisse*, euidentissime docet, quod liberti amplius impenderit, contra fines mandati esse factum, quo nomine

nomine nullam ipsis competere actionem supra euicimus. Eodem fere modo rem explicat PEREZ ad *Cod. tit. mandati n. 14.* Verba eius haec sunt: *Conciliari possunt isti textus (scilicet l. 2. l. 45. ff. de neg. gest. cum l. 31. §. 4. ff. eod.) hac distinctione, aut dominus specialiter prohibuit, ne eius negotia gereret, vel ne fundum pluris, quam praescripsit, emeret, & hoc casu negotiorum gestorum actio non competit gestori, quamuis utiliter gesserit, l. ult. C. de negot. gest. aut dominus specialiter non prohibuit, ne praedictum fundum pluris quam mandauit emeret, neue negotia eius gereret, quia tamen gessit utiliter, aequum est, actionem negotiorum gestorum ipsi competere.* Adlegat ὁμοψήφους CASTRENS, ad l. ult. C. mand. MYSING, & BARON, ad §. 8. *Inst. eodem.* Dissentiunt quidem multi, nunquam mandatario fines excedenti actionem competere adferentes, inter quos HVBER ad *Inst. tit. mand. n. n. 6.* VINNIVS ad §. 8. *Inst. eodem.* Sed minus sufficientem sententiae suae rationem adferunt. Cum enim notio τοῦ excedere fines mandati ipsis nec analytice nec synthetice distincta sit; addidit, vt de genere adfirmandum putent, quod de vna duntaxat specie valet. Obseruata igitur distinctione supra (§. 31.) tradita, haut difficilis est ad argumenta eorum responsio, cuius exemplum in explicatione II. cit. dedimus. Quod si ergo verum est, vt est verissimum, mandatario fines mandati migranti actionem negotiorum gestorum, positis terminis habilibus, competere; facile potest diiudicari quaestio, qualis sit haec actio *directa*, an *utilis*? Quum enim omnia ea adsint, quae ex verbis legum ad hanc actionem requiruntur; nihil sane impedit, quo minus directam hanc vocare actionem queamus.


§. 57.

Et quoniam actio, quam dominus, contra ne- *Sicut man-*
gotiorum gestorem qua talem instituit, negotiorum ge- *danti eadem*
storum *storum*

forum directa vocatur (§. 17.); ex iisdem principiis patet, *mandantem etiam hoc casu, si quid sibi a mandatario praestandum velit, ad id consequendum actionem negotiorum gestorum directam instituere debere (§. 55.)*

Sufficiant haec pro instituti scopo & temporis ratione de obligatione mandantis erga mandatarium, quatenus hic fines mandati excessit, ex voluntate mandantis negotium antecedente concipienda. Proximum esset, ut de ea etiam ageremus, quam ex voluntate eiusdem subsequente concipere licet. Amplissimus quidem hic nobis se aperiret campus differendi de ratihabitione eiusque effectibus, & grauissimus maximeque arduas inde veritates eruendi. Sed quum specimen hoc iam in maiorem, quam apud animum constitui, molem excreuisse videam, praeterea & temporis, qua premor, angustia hic pedem fignere suadeat; colophonem ei hic imponere, & reliqua volente Deo aliis referuare temporibus licebit.

T A N T V M.



CLARISSIMO
CANDIDATO

S. P. D.

IUSTVS HENNINGIVS BOEHMER
ICTVS.

Argumentum tritum & multorum commentariis illustratum in scenam quidem produxisti, quod illos offendere solet, qui ea tantum in deliciis habent themata, atque solerti excussione digna iudicant, quae raritate se commendant, atque ex profundissimis antiquitatum monumentis eruenda sunt. Crambem bis vel saepius coctam dicunt, quae aliorum scriptis frequentissime iam tradita atque explicata sunt. Verum hoc praeiudicio capti egregie falluntur, non cogitantes, minime videndum esse, quid de quodam argumento, trito licet, ab aliis dictum sit, sed quomodo illud excussum & ad trutinam veritatis examinatum fuerit. Infinitae supersunt doctrinae, quae nouo adhuc lumine indigent, quod qui ad illas adfert, eo magis laudem

dem & publicam approbationem meretur, quod eo ipso probatum det, se ad illuminandam iurisprudentiam aptum natumque esse. Hoc ipsum, clarissime Candidate, in hoc specimine inaugurali non tantum ex voto praestitisti, sed etiam plane nostram expectationem superasti, documento apertissimo ostendens, Te vera non simulata philosophia in eruendis decisionum rationibus & recte digerendis imbutum esse, quod iam olim in arte iuris excolenda desideravit VLPPIANVS. Ita enim quaeuis in hoc opusculo cohaerent & nexu perpetuo constant, ut semper lectorem in legendo & meditando erectum teneant. Easdem promptissimi ingenii vires etiam in examinibus, a Candidatis iuris subeundis, edidisti, atque parem cum Fratre dilecto eruditionem in resoluendis quaestionum nodis monstrasti, ut in Te & Fratre Tuo par nobile fratrum conspicere licuerit. Nihil do affectui, sed ex vera animi mei sententia scribo, atque non tantum Tibi hoc singulare industriae specimen gratulor, sed etiam in posterum quoque felices studiorum Tuorum successus apprecor, meaque officia Tibi sponte offero. Dabam e
mus. d. XXIX. April. MDCC XLVII.




eo
en-
me
um
ta-
Te
um
um
S.
xu
n-
is
to
a-
n-
ni
u-
e-
e-

02 H 289

ULB Halle 3
003 058 255





B.I.G.

Farbkarte #13

240.
DE

OBLIGATIONE MANDANTIS
ERGA
MANDATARIVM FINES
MANDATI EXCEDENTEM

INDVLTV
ILLVSTRIS IVRISCONSVLTORVM ORDINIS
IN REGIA FRIDERICIANA
PRO
SVMMS IN
VTROQVE IVRE HONORIBVS
RITE CAPESSENDIS

AD DIEM APRIL. A. R. S. MDCCXXXVII.

DISSERET

GVSTAVVS BERNHARDVS BECMANN

DEVITIO - MEGAPOLITANVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.

Handwritten signatures and notes at the bottom of the page.

